

sinceri erant, mendacia appellantes mendacia, sed venia digna, quia ob necessitatem prolata; isti vero volunt necessitatem efficere, ut illa locutio non sit mendacium, sed amphibologia externa, eo quod interdum vera dantur locutiones amphibologicae, ut exemplis productis constat. Placet quæ dicta sunt confirmare auctoritate celeberrimi Caramuelis, qui Theol. fund., tom. II, num. 805, pag. mihi 182: « Est mihi, inquit, innata aversio contra restrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos pietatis et sinceritatis, necessariae non sunt. Nam omnia quæ ipsæ præstare possunt, præstabunt consignantibus circumstantiæ. Quod si tales dicantur ut etiam ibi admittendæ sint ubi desunt circumstantiæ significantes (ignoscant mihi earumdem auctores et propugnatores), tollunt humanam societatem et securitatem, et tanquam pestiferae damnandæ sunt. Quoniam semel admittæ aperiunt omni mendacio, omni perjurio viam. Et tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam et malitiam non mutet, sed nomen, ita ut hodie jubeatur *restrictio mentalis* nominari, quod est virus condire saccharo, et scelus specie virtutis colorare. » Adeo hæc perspicua sunt, adeo luculenta, ut nulla cavillatione implicari valeant. Caramuel ipse, qui in laxanda evangelica et naturali lege palmam cæteris præripuit, haud potuit tam manifestæ veritati oculos claudere. Quæ olim mendacia, post restrictiones *pure mentales*, et quæ olim restrictiones *pure mentales*, jam *restrictiones externæ* appellantur.

Ex iis quæ diximus, variæ pro praxi eliciuntur regulæ.

*Prima est*: Si factum quod sub sermone cadit non admittit suapte natura verba æquivoca, quæ juxta communem intelligentiam varios excipiat sensus, absolute ab audiente intelligibiles, nullo modo licitum est respondentem ex necessitate occultandæ veritatis uti his locutionibus, *Nescio illud factum*, id est *ut manifestabile*: *Non feci*, subintelligendo *scientia communicabili*: *Non habeo pecunias*, subintelligendo ad tibi dandas. Hæc omnes locutiones, quas universaliter adhibendas statuunt probabilistæ ad occultandam veritatem, quæ revelata grave incommodum pareret, sunt absolute restrictiones *pure mentales* ab Ecclesia damnatæ, seu sunt pura putaque mendacia.

*Secunda Regula*: Aliquando factum supra quod cadit interrogatio admittit locutionem amphibologicam, vel quia persona respondens gerit munus duplicis personæ, ut confessorius, secretarius principis, etc., de quibus infra, quæ sunt circumstantiæ revera externæ; vel quia conditio peculiaris illius facti subministrat responsioni verbum æquivocum; et tunc licita est, gravi causa impellente, amphibologia.

*Tertia Regula*: Locutiones amphibologicae, licet interdum satis sint ad occultandam aliquam veritatem interrogatoribus obtusis, aut iis quorum parum refert eam scire, sæpe tamen ineptæ sunt ad occultandam

veritatem magni momenti interrogatoribus valris et versipellis, qui æquivocationem deprehendere valent, atque respondentem ad incitas redigere ut præcise respondeat. Quid ergo tum agendum? Infra declarabo.

*Quarta Regula*. Quando sagax interrogator æquivocam seu amphibologicam responsionem deprehendit, urgetque respondentem, ut præcise et candide respondeat, ut omittat amphibologias et restrictiones omnes, non potest respondens uti amphibologia reflexa usque in infinitum, ut docent recentiores plurimi; sed debet repellere injustum interrogatorem modo infra explicando.

*Quinta Regula*. E præcedenti regula clarissime constat recentiores præfatos restrictiones *pure mentales*, et consequenter mendacia docere. Tantum siquidem abest ut eorum locutio amphibologica externa sit, quin ita interna est, ut audiens nullo excogitabili modo possit vi talis locutionis deprehendere sensum loquentis. Hic enim ita restringit et claudit intra mentem sensum suum, ut juret se nulla uti æquivocatione quemadmodum docent communiter recentes probabilistæ cum Sanchez lib. III, cap. 6, num. 45.

*Sexta Regula*. Quando quis utitur amphibologia in sensu quem confidit non perceptum iri ab audiente, quem tamen perciperet si adverteret, non intendit illius deceptionem, sed occultationem veritatis, quam custodire tenetur, deceptionem vero audientis solum permittit.

*Septima Regula*. Ut omnes causas necessariae ad licitum usum amphibologiæ externæ perspectas habeas, eas ad quatuor capita redactas ob oculos pono. Prima, quod justa et gravissima causa urgeat. Secunda, quod respondens non teneatur ex justitia, aut religione, aut obedientia veritatem nude patefacere; sed jus habeat illam celandi. Tertia, quod veritatis occultatio ita prosit loquenti, ut nulli noceat. Quarta, quod verba vi sua, aut vi circumstantiarum referant sensum loquentis, intelligibilem ab audiente si advertere velit.

*Octava Regula*. Ex hucusque dictis patet non esse quæstionem de nomine, dum rationes impugnantur, quibus recentiores defendunt amphibologicas locutiones. Nam, si admittatur verba privari significatione ex reipublicæ consensu, aut licitum esse usum nolitæ communicabilis et incommunicabilis, qualibet gravi urgente causa, respectu omnium personarum et factorum; jam statuitur regula generalis, ob grave malum vitandum semper licitum esse veritatem celare media amphibologia, sive res quæ narratur aut occultatur excipiat, sive non excipiat æquivocationem. Quod eodem recidit ac si dicatur mendacia licita esse causa gravi urgente. Hoc vero assero ab Ecclesia damnatum fuisse. Igitur ibi tantum amphibologias admittimus, ubi revera, aut circumstantia vere externa personæ, aut factum ipsum verba æquivoca subministret, ipsamque locutionem ingrediatur; et amphibologia

insuper talis sit, ut valeat ab acuto auditore deprehendi. Hoc autem non ita frequenter occurrit. Id solum potius de nomine est, nam restrictiones mentis, quas plures etiam post Innocentium XI defendunt, debeant aut mendacia, aut mentales restrictiones appellari. Nam restrictiones mentis ob gravissimas causas vitæ, honoris, rerum familiarium, ut mendacia, damnavit Pontifex Summus. Videant ergo quomodo censuram Pontificiam evadere queant illi qui scribunt restrictiones mentis esse prohibitas in quotidiano usu (*a tutto pacto*), non ob graves causas.

*Nona Regula*. Quoniam hæc quæstio pluribus circumstantiis est subjecta, non potest statui regula generalis et præcisa quæ omnibus casibus valeat accommodari. Nos certe conati sumus, et sententiam recentiorum suo in lumine collocare, et quæstionis statum exponere, et regulas, quoad fieri potuit, præcise præscribere. Nihilominus adhuc multa declaranda supersunt, quæ sigillatim explicabimus dissertatione sequenti, in qua plurimos casus resolvemus ad hanc materiam attinentes.

Omnes Scripturæ textus quos antiqui in mendaciorum favorem producebant, afferunt quoque recentiores ut mentales propugnent restrictiones. Qui scripserunt ante Innocentium XI, eosdem omnino textus pro restrictionibus *pure mentalibus* allegabant, quos nunc pro restrictionibus *non pure mentalibus* laudant postremi scriptores; quod satis esse deberet ad demonstrandum ex præfatis nihil neque in mendaciorum, neque in restrictionum mentalium favorem elici posse. Plurimos Scripturæ textus refert Caramuel in libro qui inscribitur *Hapoteles*. Eos tantum nos recensimus qui negotium facessere possunt.

Obijciunt itaque I. Abraham Gen. XII et XX, vocavit Saram sororem suam: *Soror mea est*: quæ tamen erat illius uxor. II. Idem Abraham cum ad montem pergeret, ut immolaret, sicut mandatum acceperat a Deo, filium suum Isaac, dixit ad pueros suos Gen. XXII: *Expectate hic cum asino: ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*. III. Mentitus quoque videtur Jacob cum se Esau simulavit ut paternam assequeretur benedictionem, Gen. XXVII, *Ego sum primogenitus tuus Esau*. IV. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ dum Pharaoni conquerenti quod Hebræorum mares, ut ipse jusserat, non interfecissent, responderunt: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus... et quia timuerunt obstetrices Deum, edificavit eis domos*. Exod. I. V. Mentitus videtur angelus Tobiam alloquens his verbis: *Ego sum Azarias, Ananiae magni filius, Tob. v.*

Antequam ad singula respondeamus, cum D. Augustino advertimus plurima in sacra Scriptura haberi quæ mendacia absolute videntur; attamen, ut inquit Augustinus,

mendacia non sunt, sed mysteria; aut si mendacia, imitanda minime sunt. En verba D. Augustini lib. contra mend. xv, adversus Priscillianistas: « Ad te igitur pertinet, sectam detestabilem cum refellis, sic accipienda monstrare ista testimonia Scripturarum, ut vel doceas non esse quæ putantur mendacia, si eo modo intelligantur quo intelligenda sunt, vel imitanda non esse quæ manifestum est esse mendacia. Ad ostendenda ergo quæ putantur in Scripturis esse mendacia non ea esse quæ putantur, si recte intelligantur, non tibi parum adversus istos valere videatur; quod non de apostolicis, sed de prophetiis litteris inveniunt velut exempla mentiendi. Illa enim, quæ nominatim commemorant, ubi sit unusquisque mentitus, in iis libris leguntur in quibus non solum dicta, verum etiam facta multa figurata conscripta sunt, quia figurate gesta sunt. » Hæc Augustini doctrina satis esset ad solvendas omnes difficultates quæ ex sacra Scriptura opponi solent. Nihilominus tamen in majorem veritatis confirmationem ad singula responsum dabimus.

Igitur ad primum respondet D. Augustinus lib. con. mend., cap. 10, his verbis: « Qui asserunt aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit. Non enim dixit: Non est uxor mea, sed dixit: *Soror mea est*; quod erat revera tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod et postea jam sibi ab illo qui abduxerat ea reddita confirmavit, respondens illi, et dicens: *Est vere soror mea de patre, non de matre*, hoc est de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem. Hoc et filius ejus fecit Isaac. Nam et ipsum novimus propinquam suam conjugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promittitur falsum. »

Ad secundum respondet idem Augustinus, nequaquam Abraham mentitum fuisse, sed prophetasse: certissime namque sperabat Deum, qui paulo ante illi dixerat, *In Isaac vacabitur tibi semen*, eundem Isaac mortuum suscitaturum, ut ipse D. Paulus declarat ad Heb. XI: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus*. Quam interpretationem declarat Augustinus lib. VI, de Civitate Dei, cap. 32: « Non dubitavit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus. »

Ad tertium idem Augustinus respondet lib. commend., cap. 10: « Jacob, quod matre fecit auctore ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium: quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcunque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ

sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendum, dicentur esse mendacia: quod absit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam; ita ut hæc ipsa quæ appellatur metaphora, hoc est de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam canitiem, procul dubio fluctus, gemmas, florem, nivem, quia in his rebus non invenimus, in quas hæc verba aliunde transtulimus ab istis mendacia putabuntur... Si autem non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur, profecto non solum id quod fecit aut dixit Jacob patri ut benediceretur, sed neque illud quod Joseph velut illudendis locutus est fratribus, nec quod David simulavit insaniam, nec cætera hujusmodi, mendacia judicanda sunt, sed locutiones, actionesque prophetice ad ea quæ vera sunt intelligenda referendæ: quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum pie quærentis exerceant, et ne nuda ac prompta vilescant. » Item lib. de Civit. Dei xvi, cap. 27: « Quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mendantis, nisi profundum mysterium veritatis? » Multi tum ex antiquis, tum ex recentibus scriptoribus docent Jacob fuisse mentitum; sed simul docent qui catholici sunt mendacium illud non esse imitandum.

Ad quartum respondet Augustinus lib. cont. mendac., cap. 15. « Sed quod scriptum est bene Deum fecisse cum Ægyptiis obstetricibus, et Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. »

Ad quintum respondeo, angelum Raphaellem hominis personam repræsentasse, et humano more locutum fuisse: Neque enim Tobias, cum alloquens, angelum, sed hominem reputabat: Ignorans, quod angelus Dei esset, salutavit eum. Tob. v, vers. 6. Consequenter Raphael Tobie seniori interroganti: Indica mihi de qua domo, aut de qua Tribu es tu, respondit: Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius. Quoniam sicut personam præferbat humanam, ita quoque et stirpem Israeliticam, et genus paternum ex illustri prosapia magni Azariæ absque mendacio referebat. Ananiæ autem potius quam alterius filium se dixit, quia Ananias Hebraice est, ut inquit sanctus Pagninus, donum, et miseratio, et glorificatio Dei. Porro omnes angeli sunt filii Dei. Ideo more humano loquens patrem allegavit, qui simul et Tobie innotesceret, et cœlestem suam originem clauderet. Quare ejus locutio fuit, ut cum Augustino loquar, non mendacium, sed mysterium. Quemadmodum enim confessarius, et hominis, et Dei per-

sonam gerit; sic et angelus, qui Dei legatione fungitur sub specie hominis. Et sicut confessarius sine mendacio quædam profere potest ut homo, et quædam ut Dei minister; et sic angelus in humano commercio more humano loqui potest sine mendacio. Plurimos alios Scripturæ textus quos expendit Augustinus missos facio. Nam si quis etiam obfirmate contenderet aliquem ex sanctis Patriarchis mentitum fuisse, non ob id quidquam concluderet adversus nostram et communem catholicorum sententiam: quoniam tunc mendacium rejiceremus, tanquam imitatione indignum. Lubet transcribere verba Augustini ex lib. cont. mend., cap. 9. « Unde constat non omnia quæ a sanctis vel justis viris legimus facta transferre debeamus in mores; sed etiam hinc discere quam late pateat et quousque perveniat quod Apostolus ait. Gal. vi. Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tentaris... In omnibus autem actionibus nostris maxime etiam bonos turbant compensativa peccata, ita ut nec peccata existimentur, si habeant tales causas propter quas fiant, et in quibus videatur peccare potius, si non fiant. »

Non modo ex Veteri Testamento, sed etiam ex Evangelio aliqui obijciuntur textus in favorem restrictionum mentalium. Tres celebriores referam. Primus habetur Joan. vii, vers. 8: Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderant fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. Alium textum opponunt ex Matth. xxiv, et Marc. xii, vers. 32. De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. Alium denique ex Luca cap. xxiv, vers. 28: Et ipse se finxit longius ire.

Antequam ad singulos textus responsum præbeam, cum D. Augustino animadverto Christum Dominum plurima in Evangelio figurate, et sub parabolarum tegumentis locutum fuisse. Quæ vero imperitis mendacia videntur, mysteria sunt, figuratæque locutiones. Sed Augustinum audiamus lib. de mend., cap. 21: « Elucet itaque, discussis omnibus, nihil aliud illa testimonia Scripturarum monere, nisi nunquam esse omnino mentiendum. Quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus factisque Sanctorum inveniuntur, quod ad eas attinet Scripturas quæ ad nullam figuratam significationem referunt, sicut sunt res gestæ in Actibus apostolorum. » Nam Domini omnia in Evangelio quæ imperitiis mendacia videntur figuratæ significationes sunt.

Nonne omnes fatemur Scripturæ textus plures excipere sensus, quorum alii clariores, alii obscuriores sunt, alii spirituales, alii litterales? Hinc est quod Deus, ut con-

fusionem tolleret, statuit Ecclesiam suam esse supremum judicem, nulli errori obnoxium, qui decernat definitque legitimum et genuinum sensum a falso. Quia vero extra hanc unicum Ecclesiam quisque sibi jus usurpat interpretandi Scripturas, quisque etiam propriam profitetur religionem, inter quos nullus ordo, nulla unitas, nulla Ecclesia, sed confusio et maxima perturbatio. Porro si in nostris sermonibus licitum foret sacros scriptores imitari in usu figurarum, troporum et allegoriarum, humanum commercium abrumperetur; omniaque confusa et perturbata evaderent, et respublica humana eligere supremum judicem seu interpretem nostrarum locutionum deberet, sicut Deus pro Scripturæ sanctæ interpretatione designavit Ecclesiam. Verum, ut his incommodis occurreret, nobis in suo Evangelio formam locutionis in responsionibus adhibendam præscripsit his verbis: Sit sermo vester: Est, est, non, non. His præmissis, ad singulos textus respondeo.

Primus qui opponitur textus nullam præfert difficultatem, si integer consideretur. Nec opus est ut ad textum Græcum recurramus, in quo loco Non legitur Nondum ascendo, ut observat Jansenius Gandavensis in sua Concord., cap. 73, et Erasmus ipse fatetur exemplaria a se visa pro non habere nondum. Sed his non indigemus: quia sensus illius narrationis clarus et obvius est. Siquidem Christus sciebat tempus passionis suæ nondum advenisse, prævidebatque fratres suos seu consanguineos evulgaturos ejus iter in Judæam, si illis manifestasset; ac proinde Judæos ipsum ad mortem quæsituros. Hæc omnia ex textu prævio patent: Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua. Quid primum respondit Christus? Tempus meum nondum advenit, vers. 7. Porro addit vers. 8: Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non (vel, secundum Græcum textum, qui primæ responsioni optime cohæret), nondum ascendo ad diem festum istum. Dixit ergo Christus, Non ascendo, ut occultaretur, addit istum, ne mentiretur. Hæc interpretatio tota est Augustini serm. 163, nov. edit., num. 7: Hoc ergo ne illi prævenirent, et eum venturum esse nuntiarent, et præpararent insidiæ. Non ascendo, inquit, ad diem festum istum: Dixit: Non ascendo, ut occultaretur, addit istum, ne mentiretur. Aliquid distulit, nihil tamen falsi dixit.

Hæc interpretatio adhuc clarior evadet, si et rationem quam Christus allegat, et verba quibus suum iter in Hierusalem narrat, consideraverimus. Porro hæc est ratio cur Christus non ascendit: Quia meum tempus, inquit, nondum advenit. Ecce quomodo ex verbis ipsius Christi manifeste colligitur, ipsum non negasse absolute se profecturum in Hierusalem; sed solum dixisse se cum suis fratribus et publico stipatum comitatu nolle ascendere. Bis siquidem repetit tempus suum nondum advenisse, seu nondum impletum esse: et relate ad hanc respon-

sionis formam intelliguntur alia verba, non ascendo: quia nondum venit hora mea. Nonne ex hac responsione quilibet prudens colligit: Ergo ascendet cum ipse judicabit tempus suum advenisse? Hæc omnia non vi alicujus restrictionis internæ, sed vi verborum manifesta sunt. Atque confirmantur, si advertamus festum Scenopagiæ, de quo nunc est sermo, pluribus diebus constasse, quarum prima solemnior erat. Negavit ergo Christus ad primam vel secundam diem ad quam ibant ejus fratres se ascensurum: et ideo dixit: Nondum advenit, etc. Ascendit autem postea, nempe tertia, aut quarta die, non manifeste, seu quasi in occulto: quæ verba non eum sensum produunt, ut Christus in mente retinuerit illud manifeste, et quod illius responsio vera sit, attenda ejusmodi restrictione mentali, sicuti contendebant olim auctores restrictionum earundem quas tamen non pure mentales oretenus aliqui vocant. Hæc falsissima interpretatio opponi ad summum posset, si eadem ipsa die ascendisset in templum Christus: aut nisi verbis externis declarasset se reipsa non ascensurum ad festum illud ad quod fratres sui ascendebant. Imo, inquit Augustinus, non temere dixit: Vos ascendite ad hunc, ego non ascendo ad istum, sed addit istum, ne mentiretur, indicans quod mentitus fuisset si adverbium illud manifeste in mente retinisset, nihil exterius addendo: et propterea addidit istum, ne mentiretur. Hæc omnia iterum evidenter confirmat Augustinus tract. 28, in Joannem: Non ad hunc, id est ad quem vos vultis, primum, vel secundum diem. Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur: mediato die festo, id est cum jam illius diei festi tot dies præterissent quot remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant. Hæc est unica et germana interpretatio, quæ naturaliter ex sensu litterali profluit. Quoniam Christus respondit juxta mentem petentium, qui posebant ut ascenderet secum palam. Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse palam esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. In sensu ergo interrogantium respondit Christus se non ascendere, sicuti si dixissent: Veni nobiscum, et respondisset: Nolo.

Ad secundum textum, qui difficilior est, multiplex est Patrum responsio; nulla tamen favet restrictionibus mentalibus. In primis D. Ambrosius lib. v, de fide, cap. 7, cum pluribus aliis dubitavit num illa particula neque Filius ad textum pertineat, an ab arianis subdole addita sit. Textus enim evangelicus Matthæi sic habet: De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater. » Hieronymus vero in hunc locum Matthæi scribit suo tempore in quibusdam Latinis codicibus ejusdem Matthæi additam fuisse particulam neque Filius, quæ tamen Græcis, et maxime Adamantii et Pierii, exemplaribus non habebatur. « Sed,

inquit Hieronymus, quia in nonnullis legitur, disserendum videtur... legitur quia probavimus non ignorare Filium consummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur... Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die, manifestus respondit: *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, *non est vestrum scire*, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse apostolis... denique et consequens Evangelii sermo id ipsum cogit intelligi. Dicens quoque Patrem solum nosse, in Patre comprehendit et Filium; omnis enim Pater Filii nomen est. »

Pater Dominicus Soto in *4 Sentent.*, dist. 43, qu. 11, art. 2, de laudato textu scribens, inquit: « Nihilominus nefas esset et hæresis dubitare, ut quidam hæsitant, illam apud Marcum vocem existere, propterea quod non sit apud Matthæum. » Et post concilium Tridentinum nemo catholicorum hac de re questionem movet. Soto loco laudato comparat Christum confessario. « Sicut enim confessarius multa scit ut Dei minister, quæ ignorat ut homo est, in humano commercio, ita et Christus, ut legatus Patris æterni, multa habebat sub sigillo, quæ prout magisterium exercebat apostolorum, se nescire dicebat. »

D. Augustinus pluribus in locis explicat laudatum textum. *Enarr. in psalm. vi*: « Ubi erit ergo, quod nec Filius hoc novit? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit, sed secundum illam locutionem: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat*: Deuter. xiii, id est, scire faciat vos, etc. *Exsurge, Domine*, id est, fac nos exurgere. Cum ergo ita dicatur nescire Filium hunc diem, non quod nesciat, sed quod nescire eos faciat quibus hoc non expedit scire, id est non eis hoc ostendat, » etc. Similia scribit Augustinus lib. 1, de Trinitate, cap. 12: « Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est quod non ita sciebat, ut tunc discipuli judicarent, sicut dictum est ad Abraham: *Nunc cognovi quod timeas Deum*, Gen. xxi, id est nunc feci, ut cognosceres: qui et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. » Nam et illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno: de quo futuro, tanquam præterito, loquens ait: *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Servus enim nescit voluntatem Domini sui. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis*; Joan. xv. Quod nondum fecerat, sed quia certo facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est: ipse enim ait: *Multa vobis habeo dicere, sed non potestis illa portare modo*, Joan. xvi. Inter quæ intelligitur et de die, et hora.

#### NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(1. Jusjurandum non male definitur: « Asseveratio religiosa animo jurandi facta rei alicujus, adhibita invocatione Dei in testem et vindicem. »

(2. Summa jurisjurandi divisio est, ut sit vel promissorium, vel assertorium. Promissorium est, quod futura negotia concernit, ut major illis firmitas, aut securitas accedat, quale est tutorum, curatorum, subjectorum, vassallorum, militum, judicum, advocatorum, honores suscipientium, et aliorum; est et illud, quod conventionibus subinde apponi solet. De hujus postremi jurisjurandi efficacia tum jure civili, tum jure Canonico, agemus in addit. ad art. III.

(3. Assertorium jurisjurandum est, quod præsentia, ac præcipue præterita negotia respicit. Estque vel affectionis in litem, vel veritatis. De priori agitur in Pandectis in tit. *De in lit. jurand.* Posterius, scilicet veritatis, vel a Testibus præstat, vel a litigantibus. Et hoc præstat, vel extra judicium, vel in judicio. Illud dicitur voluntarium. Fundatur in conventionem quadam seu transactione, ita ut, quæ alias in pactis et transactionibus attenduntur, ea hic quoque desiderentur.

(4. In judicio varia juramenta sunt recepta. Occurrit primo loco juramentum judiciale, quod pars parti defert in judicio, iudice approbante.

(5. Occurrit secundo juramentum necessarium, quod ob inopiam probationis iudex, etiam non rogatus, defert actori vel reo.

(6. Estque vel suppletorium, vel purgatorium. Suppletorium, quod iudex ei defert, qui semiplene, vel plusquam semiplene probavit. Purgatorium, quod juri canonico debetur, est quod iudex causa cognita, reo defert, si vel suspitionibus a parte adversa allatis, semiplenam tamen probationem non constituentibus gravatus est, vel si actor alia de causa ad suppletorium admitti nequeat ad elidendas istas suspiciones.

(7. Ad integritatem quoque judiciorum conservandam, introductum est juramentum calumniæ, tum generale, tum speciale.

(8. Habes, et quidem paucis omnes jurisjurandi species, si addas jusjurandum perhorrescentiæ, de quo in additione ad verbum *Judicium* dictum est.

#### ARTICULUS II.

##### *Juramentum quoad ea quæ concernunt juramentum judiciale.*

#### SUMMARIUM.

1. Juramentum judiciale prout respicit partes litigantes dividitur in juramentum calumniæ, malitiæ et de veritate dicenda. — 2. Juramentum calumniæ quid sit, et cur tale dicatur. *Ad n. 3.* — 4. Calumnia quid sit, tum in causis civilibus, tum in criminalibus. — 5. Juramentum calumniæ præstari debet super quinque capitibus, quæ assignantur. *Ad n. 6.* — 7. Juramentum malitiæ quid sit: et quæ ejus differentia a juramento calumniæ. *Ad n. 8.* — 9. Juramentum de veritate dicenda quid sit: et in quo differat, aut conveniat cum juramento calumniæ. *Ad n. 11.* — 12. Juramentum judiciale prout respicit decisionem causarum dividitur in juramentum decisorium litem, et in juramentum in litem: et quid sit utrumque. *Ad n. 13.* — 14. Juramentum decisorium litem triplex est, et assignatur, et explicatur. *Ad n. 17.* — 18. Juramentum in litem est quoque triplex, et assignatur. *Ad num. 21.* — 22. Ad jura-

mentum litem decisorium tum judiciale, tum voluntarium, tum necessarium, quod requiratur. *Ad n. 23.* — 26. Juramentum necessarium, sive suppletorium cui deferendum. *Ad n. 30.* — 31. Prædicta tria juramenta, an, quando, et ex quibus causis possint recusari. *Ad n. 36.* — 37. Pueri an sint admittendi, aut cogendi ad jurandum in judicio. *Ad n. 38.* — 39. Assignantur qui repellendi aut admittendi sint ad jurandum. *Ad n. 44.* — 45. Ex addit. ex aliena manu plura de juram. suppletorio subnecuntur. *Ad n. 62.* — 63. Juramentum purgatorium quid sit, et quando hujus præstationi locus detur: quidve amplius notandum. *Ad n. 68.*

(1. Juramentum judiciale, prout respicit partes litigantes, dividitur in *juramentum calumniæ, juramentum malitiæ, et juramentum de veritate dicenda. Ita in re communis.*

(2. Juramentum calumniæ est illud quo partes litigantes jurant, quod in judicio, tam agendo quam excipiendo, et defendendo absque fraude et calumnia versari, omniaque bona fide peragere velint, id est juramentum calumniæ est illud quod in principio litem, vel postea, alterutra parte exigente, necessario iudex deferre debet; actori quidem, *ut juret non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere*; reo vero, ut juret, quod putat, *se bona instantia uti ad reluctandum*, id est, resistere actori, existimando se jus habere, ut habetur in l. ii, in princip. Cod. De jurejurando propter calumniam.

(3. Et hoc dicitur *juramentum calumniæ*, subintelligendo *evitandæ in causis*, sicuti communiter cum Glossa in cap. *Si de calumnia 1*, de juramento calumniæ in 6, verb. *Calumnia*, exponitur illud Apostoli I ad Corinth. vii: *Propter fornicationem, scilicet evitandam, unusquisque suam habeat uxorem.*

(4. Calumnia enim, de qua evitanda hoc juramentum præstat, seu calumniari in causis civilibus est per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare, l. *Si calumnietur 233, in princ. ff. de verb. signif.*; ubi dicitur, quod *Calumniatores appellati sunt qui per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus.* Calumniari autem in causis criminalibus, nihil aliud est quam falsa crimina intentare: l. 1, § 1, ff. ad S. C. Turpillianum.

(5. *Juramentum calumniæ* præstari debet super quinque capitibus, ut tradit Glossa communiter recepta, in cap. *Inherentes 1*, de juramento calumniæ, verb. *Calumnia juramentum*, ubi sic expresse habet: « In juramento calumniæ quinque capitula continentur: scilicet quod credat se bonam causam habere, interrogatus non negabit, quod verum esse credit, nec utetur scienter falsa probatione, et quod dilationem non petat in fraudem, nec dedit, nec dabit, nec promisit, nec promittit aliquid pro hac causa, nisi illis personis quibus leges dare permittunt; » et ibi hæc quinque his versibus comprehendit.

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur.  
Et si quaeretur, verum non indicetur.  
Nisi promittetur, nec falsa probatio detur.  
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

(6. Ubi, ut vides, in juramento calumniæ debet quis jurare: Primo, quod credat se justam causam habere, et fovere bonum jus, l. ii Cod. de jurejurando propter calumniam. Secundo, quod in judicio interrogatus veritatem respondebit super omnibus. Glossa loc. cit. Tertio, quod nihil promiserit, dederit, seu daturus sit per se, vel per alios causa patrociniis iudicibus, aliisve personis, exceptis iis quæ propriis advocatis aliisque personis, quibus a jure dari permittitur: authent. *Principales*, cod. de jurejurando propter calumniam. Quarto, quod non utetur scienter falsa probatione: authent. *In isto juramento*, cod. eod. Quinto, quod nullam petat calumniosam dilationem, neque probationem superfluum exigat ab adversario in fraudem, sive animo protrahendi seu differendi litem et causam, l. 1, authent. *In isto juramento*, cod. eod.

(7. Juramentum malitiæ est illud quod præstat non super tota causa, sed super exceptionibus, vel aliis singularibus articulis, sive ante, sive post litem contestatam, quoties est præsumptio contra partem litigantem, quod malitiose proponat exceptionem, quod petat dilationem, et hujusmodi. *Est in re communis*: arg. c. *Pastoralis 4*, de exceptionibus, et c. *Ultra tertiam 55*, de testibus, et desumitur clare ex cap. *In appellationis caus. 2*, de juramento calumniæ in 6, § *In omnibus autem causis*, et Glossa ibid; verb. *Malitiæ*.

(8. Juramentum malitiæ differt multipliciter a juramento calumniæ. Primo, quia juramentum malitiæ potest exigi, tam ante quam post litem contestatam, cit. cap. *In appellationis causa 2*, de juramento calumniæ in 6, § *In omnibus autem causis*. Juramentum autem calumniæ exigi potest tantum post litem contestatam, arg. cap. *Si de calumnia 1*, de juramento calumniæ in 6. Secundo, juramentum malitiæ potest exigi toties quoties aliquid malitiose dici vel fieri præsumitur, cit. cap. *In appellationis causa*, § *In omnibus autem causis*. Juramentum vero calumniæ in eadem instantia, et ab eadem persona, non nisi semel præstandum est, authent. *De iis qui ingrediuntur*, § fin., collat. 5, et authent. *In isto juramento*, Cod. de jurejurando propter calumniam, ubi expresse prohibetur: *Ne sæpius juretur in causa*. Et concordant cap. *Si Christus 26*, de jurejurando, et cap. 2, de probat. Tertio, juramentum malitiæ exigitur solum super aliquibus particularibus, super quibus adest præsumptio, quod aliquid malitiose proponatur, vel petatur ex citatis juribus sub num. 7. Juramentum autem calumniæ exigitur super tota causa seu lite, authent. *Hoc Sacramentum*, cod. de juramento calumniæ. Quarto, juramentum malitiæ fuit semper præstitum, tam de jure antiquo quam novo, nedum in causis profanis et civilibus, sed etiam in ecclesiasticis et spiritualibus, ut patet in cap. *Cum Dilectus 32*, de electione, et cap. *Litteras 13*, de restitutione spoliator. Juramentum vero calumniæ olim dabatur solum in causis pro-